UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodvs Expeditæ Confessionis Tum pro Confessarijs, tum pro Pœnitentibus

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Cap. III. Circa secundum Decalogi præceptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41773

Visual Library

miſcuiſti Sacra profanis: erit etiam peccatum contra cultum debitum rebus ſacris, ſi per maleficium, intendiſti mortem vel rem alicujus, erit homicidium, vel furtum; ſi præter commercium adoraſti dæmonem, erit Idololatria; & ſic de ſimilibus, ut ex ſe patet *f*

f Lege in ſimili Sāchez l. 2. in dec. c. 38 n. 66.

CAPUT III.

Circa ſecundum Decalogi præceptum.

§. 1.

De Blaſphemia.

17 QUamvis probabilius, *a* ſit Blaſphemias contra Deum, contra beatiſsimam Virginem, & contra Sanctos differre ſpecie; tamen cum probabile ſit non differre, ſatis erit

a Sua. t. 1. de rel. tr. 3 l. 1. c. 6. n 18. & 19. Sanc. in dec. l. 2. c. 31. n 39.

ſi in Confeſsione aperiatur numerus Blaſphemiarum, nec explicare opus erit, fuiſſe contra Deum, vel Beatiſsimam Virginem, vel contra Sanctos. *b* Ratio autem, quod non differant eſt, quia cum omnes communiter honorent Sanctos, non ob præciſam, propriamque ipſorum excellentiam, ſed quia ad Deum ipſi Sancti referuntur; ideo nec injuria eos per blaſphemiam afficiunt, niſi quatenus ad Deum referuntur; ab uno ergo, eodemque Deo omnes blaſphemiæ ſpecificantur.

b *Azor apud Diã. p.* 1. *tr. de circumſtantiis aggrav. reſp.* 50.

18 At ſi quando fortè Blaſphemia ſit hæreticalis; tunc propter ſuperadditam ſpeciem hæreſis, id eſſe explicandum *c* ex ſupradictis conſtat.

c *De Lug d.* 16 *ſec.* 5 *n.* 279.

Qua ratione qui uno impetu plures blaſphemias profert ſemel peccet, dixi ſupra c. 1. § n. 50.

§. 2 D

§. 2.

De voto, & juramento.

19 IDem, & multo probabilius, dic in voto, & juramento; in quacumque enim materia *a* ſive voveas Sanctis, ſive Beatiſsimæ Virgini, ſive immediatè Deo; vel, ſive jures *b* per aliquem ex his, ſive per quodcunque aliud, in quo veri juramenti ratio apparet: eodem ſpecie voto voves, eodemque ſpecie, juramento juras. Ratio eſt iſta, quia communiter intentio jurantis eſt ipſum Deum, qui in Sanctis, rebuſque illis, relucet, adducere in teſtem, & in votis, ipſum eundem Deum colere. Quare ſatis eſt in Confeſsione ſic proferre: Votum minimè obſervavi, falsò juravi, &c. ſine ſollicitudine explicandi cui voveris, vel per quid juraveris.

a *Sanc. l. 4 in dec. c. 11 n. 23.*

b *Suar. t. 2 de Rel. l. 1. de juram. c. 25. n. 10. Leſſ. l. 2. c. 40. du. 1 n. 6. Fag. præc. Eccl. 2. l. 3. c. 5. n. 2.*

20 Sed quid, ſi quis votum confirmarit juramento? Reſpondeo utrumque, id eſt, votum, & juramentum fore explicandum. c Ratio eſt clara, quia tunc emergit duplex ſpecie malitia ſi contra illa delinquas; altera contra Religionem, ſeu fidem datam per votum: altera contra obligationem non adducendi Deum in teſtem in re falſa. Eodem modo ſi res, ſupra quam cadit votum, ac juramentum eſſet ex præcepto, etiam hoc explicari deberet: ut ſi quis voviſſet, juraſſetque Miſſam audire in die feſto. Nec mirum: quia nova ſpecie malitia adeſſet, quia ſcilicet quis Eccleſiæ præcepto non ſatisfacit. Qua ratione, & quando vota, vel juramenta repetita unum, vel plura peccata conſtituant, diximus ſupra cap. 1. §. 8. præſertim n. 52.

c *Sanc l. 7 de matr. d. 27. n. 26*

§. 3. *De*

§. 3.

De conſuetudine in jurando, & in aliis peccatis.

21 QVi ex inveterata conſuetudine advertenter jurat falsò, ſatiſne eſt dicere, ſemel juravi falſum; an potius neceſſe erit etiam addere id fuiſſe ex mala conſuetudine? Reſpondeo non eſſe neceſſe. a Ratio eſt, quia peccata præterita non addunt præſenti peccato circumſtantiam novam, multo minus ſpecie diverſam.

a *Suar. Vaſq Regin. Bon. apud Diā. 1 p. tr. de circumſtant. reſ.* 15. & 55.

22 Idem dic, ut ſemel hac occaſione dicam, de inveterata conſuetudine fornicandi, blaſphemandi, & ceterorum ſimilium, par enim eſt ratio.

13 Quid verò ex inveterata conſuetudine inadvertenter jurat falſum, licet videatur obligari ad conſuetudinem confi-

tendam, tamen communiter excuſatur. Quod videatur obligari, ratio eſt, *b* quia tunc inadvertenter jurare falſum, licet non ſit in ſe peccatum formaliter, eſt tamen peccatum materialiter, quia eſt adhuc perjurium, quamvis inadvertenter commiſſum; ergo illa conſuetudo, quæ eſt cauſa talis mali materialis, ſi non curatur amoveri, eſt formaliter peccatum, utpote cauſa mali: quare debebit ipſa in Confeſsione aperiri, ſi ut dictum eſt, illam extirpare procuratum non ſit. Idem dicendum videtur in ceteris peccatis blaſphemandi, occidendi, vulnerandi, &c. ſi fortè quis ex inveterata conſuetudine hæc inadvertenter committeret.

b *Sanch. l.3. in dec c.5. n.13.& 14*

24 Iam quod communiter excuſetur ratio eſt, quia communiter nemo advertit ad obligationem, quam habet *c* illam conſuetudinem propter eam rationem

c *Facit in ſimili De Lugo d.16 de pœnit. ſect.4. §.7 n.203.*

nem extirpandi, ne ſcilicet ſua conſuetudo ſit cauſa proxima prædicti materialis mali, & conſequenter cum excuſetur à peccato, excuſabitur à Confeſsione.

25 Vnum nota aliquando actus ejuſmodi inadvertenter factos non retinere, ne malitiam quidem materialem, ſeu quam vocant objectivam: & tunc nec ipſe actus, nec conſuetudo eſt peccatum, adeoque nec Confeſſioni ſubdendum. Talis communiter reputatur contumelia in ebrietate alicui facta ab *d* ebrio: Cum enim contumelia ab ebrio, hoc eſt ab experte rationis facta non ſit, ne materialiter quidem, contumelia, (debet enim contumelia eſſentialiter eſſe per verba utentis ratione, non autem ſicut à Pſittaco) in ſe non erit peccatum; & neque in cauſa: quia numquam talis cauſa, id eſt ebrietas, cau-

d *Idem ibid. n.* 207. & 218.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſabit verba utentis ratione: unde ne materialiter quidem contumeliam cauſabit. Eodem modo dicendum eſſe docent e aliqui de blaſphemia, hæreſi, & ſupradicto juramento, quod ſcilicet eſſentialiter requirant eſſe ab utente ratione, & conſequenter ea inadvertenter facta neque in ſe, neque in cauſa eſſe peccata, adeoque nec neceſſario confitenda. Sed hoc fuſius proſequi, ad nos nequaquam ſpectat, cum ſatis nobis ſit à peccato, & Confeſsione, regulariter ea excuſare propter illud caput modo dictum numero præcedente.

e *Jo. Sanc. in ſelectis fuſè d. 20. à n. 5.*